



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De tempore interponendæ appellationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pellari potest. *c. Directe. 39. b. c.* Neque enim hic talis ob contumaciam aliquam, quam nullam posuit, vel quæ per reditum ad Iudicem à quo, purgata fuit, ab iterata appellatione. si iterum graveur, repelli debet.

SECTIO VI.

De temporibus, seu fatalibus appellationum.

Fatalia dicuntur illa tempora, quibus elapsis facultas, quæ appellandi causa concessa est, intercidit & extinguitur: Talia fatalia sunt quatuor. Primum est tempus interponendæ appellationis. Secundum est tempus petendi & concedendi Apostolos. Tertium est, tempus presentandi, seu offerendi prædictos Apostolos Iudici ad quem. Quartum est tempus ad prosequendam & finiendam appellationem concessum. De primo fit

§. I.

De tempore interponendæ appellationis?

De jure antiquo appellandum fuerat in causa propria intra biduum; in causa aliena, seu procuratorio nomine intra triduum, à prolacione sententiæ numerandum: hodie tamen jure novo intra decem dies à die gravaminis illati etiam extrajudicialis, vel latæ sententiæ etiam interlocutoriæ utiliter appellabitur, utroque jure tempus hoc approbante, ad cavendam scilicet litem prolongationem, & litigantium damna *authen. hodie. junct. Gloss. Cod. h. t. c. Quod ad consultationem 15. de sentent. & re judi-*

cat. c. Significaverunt 36. junct. Gloss. V. intra 10. dies de testibus. Est autem hoc tempus decendii, intra quod fieri debet appellatio, in principio utile, in progressu tamen continuum, ita ut non incipiat currere, nisi à tempore scientiæ, postquam scilicet pars litigans scit sententiam contra se latam esse; vel postquam scivit, si extrajudicialis sit appellatio, gravamen in sui præjudicium illatum esse aut inferri: si verò cæpit currere, continuum erit usque ad idem punctum temporis, post 10. dies elapsos, à quo incepit, solemnes etiam ferias includendo, jure scilicet tempus interponendæ appellationis sic disponente, ut appellans deliberandi quidem tempus habeat, quod tamen nec nimis breve sit, nec nimis longum, cum etiam feriatis diebus appellare liceat, ut supra dictum.

§. II.

De Apostolis, & tempore illos presentandi ac presentandi.

Apostoli hoc loco dicuntur literæ dimissoriæ, quas Judex, à quo fuit appellatum, transmittit ad Iudicem, ad quem est appellatum, quibus testetur Titium v.g. à sententiâ à se lata appellasse. Sunt autem variaz Apostolorum seu litterarum dimissoriarum species: alii dicuntur dimissorii ad Iudicem ad quem directi, quibus appellatum ad illum, & admissa appellatio ei significatur; alii dicuntur reverentiales Apostoli, quibus significat Judex à quo, admissam à se appellationem, non ex justitiæ causa, sed ob reverentiam illius, ad quem appellatum est; alii dicuntur refutatorii, quibus significat Judex à quo, Iudici ad quem, quod à se admissa non fuerit appellatio, exprimendo